


DITHYRAMBVS
IN
DRACONEM GENTILITIV
ILLVSTRISS. PRINCIPIS
FRANCISCI BONCOMPAGNI
S.R.E CARD. AMPLISS.
IN COLLEGIO ANGLICANO
PHILOSOPHICAS INTER THESES
ODOARDI VITI
EIVSDEM COLLEGII ALVMNI
EMODVLATVS.
apud Hærede Bartholomei Zannetti
Romæ



Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſ. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

P. Epiſcopus de Curte Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Donatus Rom. Magiſter & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Hyacinthi Petronij Rom. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Ordinis Prædicatorum.

ARGVMENTVM
EMBLEMATIS.





NTER alias aſtrorum imagines, quibus omne cœlum diſtinxit antiquitas, ſiue fabularum cupiditate, dum quiſque ſuum inter ſidera aſpectabile ſibi quærit numen, vel inane potius nomen; ſiue memoriæ iuuandæ neceſſitate, ne mens Philoſophantium, in innumerabili ſtellarum numero errabunda fluctuaret; ſiue ſtudio tranſmittendi ad poſteros rerum præclare geſtarum memoriam; non ignobile ſignum Draconis eſt. Siue Draco is ille ſit, quem Atlas Heſperidum Hortis nemore aurifero pretioſis cuſtodem impoſuit, & Hercules aureorum malorum cupiditate accenſus interfecit, ab Atlante vero in cælum relatus eſt; (erant enim illorum temporum mortales nimij in donandis alijs cælo, quo ipſi indigni eſſent:) ibiq. tot flammeis oculis, adhuc in cuſtodiam inten-

tus visitur, quot sideribus intermicat. Siue ille, quem impia Gigantum turba, terræ progenies, Mineruæ aduersus se prælianti obiecit, illa vero volens aliquod Victoriæ suæ extare monumentum, sideribus intulit. Vt vt sit, Herculis certè vel Palladis trophæum est; gloriosumq. illi fuit non nisi à Disciplinarum Deà potuisse vinci, & non nisi ab Hercule occidi. Hic porro Draco eam cæli regionem occupauit, in qua Zodiaci Polus arcticus esset, qui & ideo cor Draconis à nonnullis vocitaretur, quod suis illum vndequaque spiris obsessum, arctissime complexus foret; id quod eximia illa stella, medio Draconi inscripta, explicuimus. Ex hoc Polo describitur Zona illa, quæ ab Astrologiæ peritis Zodiacus dicitur, translato è Græcia nomine peregrino, vel à vita, quod eam subiecto orbi influat, vel ab animantium imaginibus, quæ in illo depictæ sunt, plurimorum. Hic porrò circulus, præter eam qua Vniuersum ambit vastitatem communem cum alijs, latitudinem sortitus est singularem, liberosq. errantium siderum lapsus, eà ita coerçet, vt extra illum nullus vnquam Planetarum visus sit

aber-

aberrasse: Sol etiam ipse, luminum Rex, regia semper incedens via, immutabili cursu medium circulum obit, vtrinque non minorum modo siderum satellitio stipatus, sed maiorum etiam coronatus obsequio. Solus vero Draco toti æqualiter supereminens orbi, stellarum choreas, & sublimi lætabundus, quasi choragus quidam, despicit; & dum dies numerat, sua beneficia expendit: dum vicissitudines anni obseruat, sua munera agnoscit; dum stationes erraticorum luminum examinat, beneficentiæ suæ notas quasdam inuestigat. Nos vero vt vitali Draconis lumini per solem ad homines effuso, vmbram aliquam aspergeremus potiùs quam adderemus ornatum, notissimas quatuor anni partes curulibus inuectas sellis adduximus, quibus si feras nouas adiunximus, sanè non otiosas. Neque enim voluimus à cælestibus in terram descendere, vt aquilas Iouis, Lupos Martis, Mercurij Gallos, Veneris columbas, & alia sexcenta nobis compararemus, cùm vitio Poëtarum, cælum adeo ferax istiusmodi ferarum sit, vt non tam Deorum sedes, quam animantium septum videatur: neque incon-

gruum tamen fuit, earum quibus sola terra agitatur imagines varietatum, cælestibus belluis aduexisse, quando omnis illa vicissitudo e cælo deriuatur. Et Ver quidem ante se agit, quibus olim vsa Venus, olores; habet enim hoc proprium tunc annus, vt in nouam speciem reuiuiscens, lasciuire quodammodo videatur. Aestas canibus inuehitur, eò quod summa tunc est, cum, vt ait Statius, Calido latrauit Sirius astro, quem etiam in imagine descripsimus. Equos Autumno subijcimus, quòd Apollini, qui idem cum Sole, sacri sunt, cuius tunc beneficia in humanum genus ampliora, summa rerum cum vbertate & copia conferuntur. Hyemem geminæ Vrsæ ducunt, siue quod animal hoc in Septentrione frequens, siuè quod ad Polum boreum, cui frigidissimæ regiones subiacent, Maior, & minor Vrsa videantur.

Nobis quidem tota hac descriptione in animo erat, Illustrissimæ BONCOMPAGNORVM familiæ DRACONEM exprimere, maluimus tamen illum in vmbra exhibere, quam natiuis radijs collucentem exponere, quod laboriosum & temerarium fuisset, tutius rati

illum

illum in imagine sua venerari, hoc est cæle-sti, quam in seipso audacter contemplari. Hoc vero BONCOMPAGNAE familiæ DRACO fælicior illo est, quod quem timeat Herculē non habet, quippe qui aureorum pomorum non modo seuerus custos ac vindex non sit, sed propriorum etiam donorū prodigus elargitor, & qui Præbeat, non Prohibeat. Quod si ille etiam Palladi obiectus fuit ad terrorem, iste Philosophiæ modo erit ad tutelam. Nec defuisset nobis, quē describeremus Zodiacū, e Draconis corde, hoc est, GREGORII XIII. augustissimi Pontificis paterno pectore deriuatum: quæ enim regio est quam ille suis beneficijs non obstrinxerit? quæ natio, quam suis donis non habeat obligatam? quæ prouincia, quam suis muneribus non teneat deuinctam? Sane si Zodiacus ille duodecim imagines refert, potuissemus numerare plusquam vigintiquatuor, partim Seminaria studiosorum adolescentum, partim alias ædes publicæ vtilitati erectas, atque inter illa Collegium hoc nostrum Anglicanæ iuuentuti fundatū, adscribere. Veniant igitur sub vmbra alarum GREGORIANI DRACONIS, quos

impoſito deſuper Sole, continua æſtas perpetuis vrget caloribus: adſint quos placidiſſimum Ver, & fortunatiſſimus Autumnus mitiori cælo bearunt, accurrant quos habitabili pene excluſos orbe, extrema hyems confecit. Quæ dum alij pio obſeruantiæ ſenſu perpendunt, alij diſerta oratione explicant, nos reuerenti ſilentio inuoluimus. Illud ſolum tibi, ò Roma, & augurari, & precari libet, vt quemadmodum cæleſtis Draco, ex aſtris illis eſt, quæ tibi nunquam occidunt, ita Illuſtriſſimæ familiæ huius ſplendor, in oculis tibi ſit ſemper, & amor in corde.

DI-

DITHYRAMBVS
IN DRACONEM
Gentilitium
ILLVSTRISS. PRINCIPIS
FRANCISCI CARD.
BONCOMPAGNI.



DRACONEM canimus,
fauete Musæ;
Draconem colimus, silete
Turbæ.
Eia Romula pubes,
Sanguis inclyte Teucri,
Eia vultus explica serenos,
Leuibus detur ludus zephyris
Laxa seuerà sine lege coma,
Nexaq. manu ducat faciles
Tantisper ouans turbà choræas,

Dum caua multiforo resonant spiramine buxa,
Dum rutilos grauidus fundit calathiscus acanthos,
Et vernat florea redimita aspergine Tellus.
Draconem canimus,
Non virenti spumeum saliua,
Non minaci stridulum susurro,
Non oris halitu,
Non dentis ictu,
Linguæue flictu noxium.
Qualis vel trifidæ iugera Phocidis,
Sanie tumentem liuida gliscens cutim
Implebat Anguis, qui tibi Delie
Vltor Parentis lancinatus
Syluam vexit arundinum,
Et clara certaminibus
Liquit nomina Pythijs.
Qualisuè Ogygia palude mersus
Sidonia profugos arena
Ingluuie rapuit voraci,

Cadmiq.

Cadmiq. funeratus ictu
Milite in armisono reuixit.
Canimus cicurem, innocuum colimus,
Qualis fulget gentilitius
FRANCISCI DRACO BONCOMPAGNI.
Draco mitior bidentibus,
Catellulisq. blandior,
Hædillulisq. mollior,
Columbulisq. suauior,
Cygnisq. gratiosior:
Qui nec verendus sibilo,
Qui nec tremendus spiculo,
Qui nec venenis horridus.
Testantur id clienti
Fastidiosa nusquam,
Iniuriosa nunquam,
Aperta cunctis, benigna egenis,
Vestibula FRANCISCI.
Testatur vsque vota
Supplicantis ad popelli,
Summis proxima tiaris,
Summis æmula coronis,

Porrecta

Porrecta blandè Purpura.
Draconem canimus, fauete Musæ;
Draconem colimus, silete Turbæ.
Quid propinquis obrigescens Colche nimbis Caucasi,
Excubitus memoras perennes,
Inquietis diuitum
Custodis penetralium,
Vbi radiante villo
Aurea ramosa splendebat ab ilice lana?
Quid retrogradi igne Solis vstulatus Aethiops
Somnifugos recinis labores,
Pertinacis vsque opum
Custodis nemoralium,
Vbi rutilante ramo
Lutea Atlantiadum fulgebant mala sororum?
Rapta sunt flauis sua poma lucis,
Rapta Phryxææ pecudis metalla,
Custosq; vterq. sempiterno
Captiua dedit lumina somno.

Dicite

Dicite mecum, dicite pueri,
Inuictas medicamine
Nocentiore Colchico,
Infractas stratagemate
Potentiore Maurico,
Tutoris Vrbis, Custodis Orbis
GREGORII excubias DRACONIS.
Ille securos dedit esse, sana
Quos Fides septis sociauit vnis,
Cum Vaticanis excubaret arcibus,
Vigil regerere nec absque damno
Fulmineos sua tela in hostes.
Illi vorticibus Styx nigricans nocticoloribus
Concussa infremuit, pulsaque portenta trisaucia
Pallentis Erebi, in Tænari sese
Præcipites dederunt cauernas.
Centum illi geminis prodigiosior
Ceruicibus, retusa sibilos
Repressit angues Hæresis.
Hæresis atrox, serpentigerùm

Illa

Illa sororum quarta, sed vna
Cunctis exitialior.
Nouit Vrbs & nouit Orbis,
Nec silebit Vrbs nec Orbis
GREGORIANI tempora sæcli.
Quando sospitabat æqua Astræa mundum trutina,
Quando prosperabat orbem lapsa cælo Faustitas,
Quando flores Flora, quando poma Pomona edidit,
Et beabat vberanti cuncta cornu copia.
Draconem canimus, fauete Musæ,
Draconem colimus, silete Turbæ.
Meritò mori prohibes Eleusis
Spicigerosq. volatus,
Frugiferosq. labores,
Seminatrices segetum quadrigas
Trahentium Draconum.
Illi indefessis nubila cursibus
Tranantes volucres, legiferæ Deæ
Fudere vbique munera,

Agrosq.

Agrosq. primi fræna docuerunt pati.
Tunc rigida carpsit satur Ilice fertiles aristas,
Rapuitq., pastus antè glande spicas.
Tunc æsculeta culta pepulerunt sata,
Tellusq. Mater pro rubetis
Triticeo rutilauit auro.
O Roma rerum apex
Et præmiatrix optimi,
Vt fulminatrix pessimi,
Quantò tergemino sidera celsior
Propiùs flagellas vertice,
Fortiùs eia tantò
Et tuum, & BONCOMPANIVM famigera Draconem.
Aera funde, saxa finde,
Victura sculpe marmora.
Fremat Canopus, frendeant Cares suos
Detumescère turrium tumores,
Denitescere molium nitores,
Obsolescere marmorum decores,
Dum sempiternis Pyramis spirans notis

Adlambit aſtra, poſteris teſtis
Futura terras quas volando
GREGORIVS recrearit Ales.
Ille non mundo veteri acquieſcens
Spargere effuſis ſua dona plauſtris,
Alijs tepidos ſolibus orbes,
Alijs petijt conſueta regi
Aequora ſtellis, atque Herculeos
Vltra ſilices, vltra aurifluas
Gangis arenas, ſua largifluus
Semina vexit.
Draconem canimus fauete Muſæ,
Draconem colimus, ſilete Turbæ.
Quin age qui multo ſuffuſus ſidere
ſquammas
Premis minores lampadas,
Immaniq. trahẽs ſinuoſa volumine terga,
Arctos vtraſque diuidis,
Stellate Serpens: Qui medius rotas
Biſſena circum ſigna tranſuerſim
Zonas ſecantis faſciæ;
Ignibusque vendicas tuis

Quicquid

Quicquid benigno ſidere,
Quicquid propitio fulgure,
Quicquid ſereno iubare;
Septenus Erronum chorus
In patulum iaculatur orbem.
Age flammigeros occule vultus,
Scintilliuomas abſconde faces,
GREGORIOQ. *Draconi*
Comparatus, erubeſce
Aequari tua munera.
Tota ſunt tua: quæ vel in tepentes
Telluris irrorat ſinus,
Niueis volans per arua cygnis
Floricomus Anni Ver iuuenculus.
Quando gelati
Cærula Nerei
Regna, niuali
Compede laxant
Zephyri molles; repetitq. ſuas
Prodigus animæ Nauita merces.
Quando gemmas trudit Arbos,
Quando pingit riſus agros,

Et

Et roſeta rubeſcunt,
Et vireta uireſcunt,
Hederæq. pullulaſcunt,
Violæq. purpuraſcunt.
Tuum eſt: ferace quicquid
Exſudat agri ceſpite
Igneo potens Aeſtas Cane,
Cum fluctuante lenè flaueſcens coma
Ceres inaurat arua,
Et terit toſtas ſtipulà volante
Area meſſes.
Robuſtiore cùm viret trunco nemus,
Et grandiuſcula
Iam pondus inclinatis
Incipiunt dare poma ramis.
Tuum eſt: ſereno quicquid excoctum
Sole, racemiferis caput impeditus vuis,
Sapore dulci Autumnus elaborat;
Cum fronde languens Arbor incuruà
Dat Domino fænus ſua viſcera,
Et de maritis vulſa truncis
Purpureis gemit vua prælis.

Tuum

Tuum est: quod vdis antè creditum
Telluris penetralibus,
Ipse senex Anni glacialibus horridus Vrsis
Semen alumnat Hyems,
Et quòd Terra parens assiduis hausta laboribus
Tunc vires reparet suas.
Tota sint isthæc tua: Non minora
Depluit regaliter,
Fuditq. liberaliter,
Per mare, per patulæ æquora terræ.
GREGORIANI Stemmatis Ales.
Stupebis ipse cuncta lustrantem,
Mirabere ipse singula fouentem,
Fateberisq. digniorem
Quì Mundi dominas flectat habenas.
Quicquid recente Phœbus afflat equo
Madens Eoo gurgite,
Temone quicquid lustrat emerito
Tingendus vdo marmore,
Quicquid cauernis conspuit Scythicis

Boreas

Boreas niuoso vellere,
Quicquid cacuminibus Notus Lyblcis
Radit tepente flamine,
Perfudit omnia DRACO GREGORIVS
Manante latè munere.
Roma Romulei medulla Mundi,
Quid Præsidi, quid Principi,
Quid Parenti debitum
GREGORIO *negabis?*
Non exedenda sæclis,
Non exterenda nimbis,
Quà Vaticanis, quà Quirinis,
Quà Cælijs, quàque Exquilinis
Monimenta liquit arcibus.
Aucta sacris, ducta regijs Roma in astra molibus,
Palladijs rutilans Lycæis, Pube fulgens florida.
Quid Præsidi, quid Principi
Quid parenti debitum
GREGORIO *negabis?*
Viuificos sensistis,

GRE-

GREGORIANI luminis ignes,
Munificos hausistis,
BONCOMPANII fluminis imbres,
Et Tu vel toto diducta Iaponia Mundo,
Quique teris Libani subiecta noualia cliuo,
Sensistis Graij, sensistis Pannones, & quà
Danubij in victam circum latrat vnda Viennam,
Et quà turrigeros attollit Grecia muros,
Quid Morauos memorem, Quados, aut Marte potentes
Vindelicos, Celtas, Lituanos Illyricosque?
Entheum rapis Anglia,
Quæ tua lumina, quæ tua semina
GREGORIANIS ignibus, horreis,
Mutuata iactitas;
GREGORIIQ. Nepotibus
Intimos non ultima
In sinus cupis inseri.

Age

Age GREGORIIS *Insula felix*,
Spes imbibe antiquas,
Spes repete sopitas,
Festinat ecce Purpurà etiamnum cluens
GREGORIVM *dare* GREGORII *Nepos*:
Macte FRANCISCE, *alitibusque faustis*
Qua uias Virtus tibi strauit æquas;
Scande per summum titulos honorum;
Perge qua signis radians Auitis
Te Draco sensu trahit inuoluto:
Euge rediuiuæ spes Britanniæ,
GREGORIIQ.
Nominis Hæres,
Mentis & Hæres,
Omina firma,
Nomina firma.

LAVS DEO.